

Cambridge University Press

978-1-108-04298-7 - Giraldi Cambrensis Opera: De Principis Instructione Liber: Volume 8

Edited by J.S. Brewer, James F. Dimock and George F. Warner

Excerpt

[More information](#)

GIRALDI CAMBRENSIS
LIBER DE PRINCIPIS INSTRUCTIONE.

U 61324. Wt. 18672.

A

Cambridge University Press

978-1-108-04298-7 - Giraldi Cambrensis Opera: De Principis Instructione Liber: Volume 8

Edited by J.S. Brewer, James F. Dimock and George F. Warner

Excerpt

[More information](#)

Cambridge University Press

978-1-108-04298-7 - Girdaldi Cambrensis Opera: De Principis Instructione Liber: Volume 8

Edited by J.S. Brewer, James F. Dimock and George F. Warner

Excerpt

[More information](#)

INCIPIUNT CAPITULA PRIMÆ DISTINCTIONIS.

-
- I. De principis moderamine.
 - II. De principis mansuetudine.
 - III. De principis verecundia.
 - IV. De principis pudicitia.
 - V. De principis patientia.
 - VI. De principis temperantia.
 - VII. De principis elementia.
 - VIII. De principis munificentia.
 - IX. De principis magnificentia.
 - X. De principis justitia.
 - XI. De principis prudentia.
 - XII. De principis providentia.
 - XIII. De principis modestia.
 - XIV. De principis audacia et animositate.
 - XV. De principis gloria et nobilitate.
 - XVI. De differentia inter regem et tyrannum.
 - XVII. De tyrannorum obitu et fine cruento.
 - XVIII. De principum electorum tam vita laudabili quam fine.
 - XIX. De principalium nominum expositione.
 - XX. De principis religione ac devotione.
 - XXI. De finali principis intentione et felici totius vitæ consummatione.
-

Cambridge University Press

978-1-108-04298-7 - Giraldi Cambrensis Opera: De Principis Instructione Liber: Volume 8

Edited by J.S. Brewer, James F. Dimock and George F. Warner

Excerpt

[More information](#)

Cambridge University Press

978-1-108-04298-7 - Giraldi Cambrensis Opera: De Principis Instructione Liber: Volume 8

Edited by J.S. Brewer, James F. Dimock and George F. Warner

Excerpt

[More information](#)

INCIPIIT PRÆFATIO PRIMA.

f. 48.

De Principis instructione tractatum edere me compulit id præcipue, quod in principum moribus et prælatorum, qui alios tam exemplo quam potestate regere tenentur et informare, quod digne reprehendi possit plus invenio. Quis enim hodie princeps, qui non indultam desuper potestatem ad omnes animi motus, ad omnem carnis libitum ac luxum, ad omnem pravæ tyrannidis atrocitatem, indifferenter extendat, et, tanquam quicquid libet liceat, velut æquis ambulantiæ passibus posse pariter et velle non metiatur? Quis hodie princeps, qui regum inunctionis sacramentum, qui coronam et sceptrum et insignia singula, quid sibi velint, attendat? Proinde et in veterum scriptis principes illiterati tanquam asini censentur coronati. Quis enim hodie princeps, qui principium exile, medium fragile ac corruptibile, cadaver post exitum vile cogitet? Juxta illud philosophicum responsum tyranno, qui quasi de duce nuper inunctus fuerat in regem de rege statim sublimandus in imperatorem, jactabunde quærenti “Quid fui, quid sum, quid ero?”—“Vile sperma, vas stercoreum, esca vermium.” Dicitur enim Alexandro Macedoni, gradatim ad dignitates ascendenti et inde jactanti ac glorianti, a Dionysio philosopho sic responsum fuisse.

Motive of the work.

Character of modern princes

Præterea quis hodie prælatus, qui canonicam illam pastoralis viri descriptionem vel in paucis adimpleat? Quis orphanorum et pupillorum sustentator? Quis bonorum ecclesiæ fidelis dispensator? Et, ut de anima pro ovibus ponenda taceam, quis hodie pastor, qui,

and prelates.

lacte solum et lana perceptis, debitam gregis sollicitudinem vel in modico gerat? Paucos etenim in partibus nostris praelatos hodie videmus, qui non fiscalibus longe propensius quam episcopalibus curis indulgeant. Sunt quippe pastores qui non pascere quærunt, sed pasci; sunt praelati qui præesse cupiunt, non prodesse; f. 48 b. sunt episcopi qui non omen dignitatis sed nomen, non onus sed honorem amplectuntur. Tales itaque principes talesque praelati nostro nunc causam¹ calamo donant.

The work in three parts.

Est ergo trimembris operis hujus distinctio: prima de principe instruendo per varia auctorum, tam theologorum quam ethnicorum et ethicorum, testimonia doctrinam continet et præcepta; secunda vero et tertia rationem docent regiminis per exempla.

Dedicated to posterity;

Sed quoniam opuscula nostra quæ juveniles olim anni ambitu pleni laboriose produxerant, alia principibus edita fuerant, alia praelatis et infructuose—scriptis hodie novis, quanquam egregiis, innata finalis temporis hujus malitia odium auctoribus, invidiam pariter et offensam, non præmium aut gratiam comparantibus—hos aliosque conatus nostros, quos divino dante favore nostra de cætero parere poterit diligentia, posteritati, quæ dignis saltem et absque livore laudum præconiis litteratos cujusque labores extollet, præsentabimus, illud nobile Ciceronis eulogium semper ad animum revocantes, “Præsentes fructus contemnamus, posteritatis gloriæ serviamus”; ut illud ejusdem, “Vitæ brevis est cursus, gloriæ sempiternus.” Et illud cogitemus, corpus esse mortale, animi vero motus et virtutis gloriam sempiternam. Et illud Plinii, “Quicquid agas, semper gloria sit tibi ante oculos et æternitas.”

if to any prince, to Louis of France.

Cæterum si cuiquam modernorum principum opuscula nostra, quæ provecior ætas elaboraverit, præsentanda

¹ *causam*] causa in, MS.

fuerint, unum elegimus, cui præ cæteris digne magis præsentari posse videntur, Ludovicum scilicet Philippi Francorum regis filium primævum: tum quia litteris et liberalibus studiis affatim est a teneris annis imbutus (quæ virtus quidem, quanto in principibus est hodie rarior, tanto, ubi affuerit, longe pretiosior et præclarior), tum etiam quia liberalitate conspicuus; quæ duo revera, tanquam aurum gemmæ, sic principis animum decenter exornant. Quanquam tamen in nobis jam ætas infirmior, et metæ finalis cursus affinior, liberales et largos ad remunerandum litterati labores ingenii non illaudabiles nec exspectat amodo, nec exspectat¹ retributiones.

Quam sint autem principibus appetibilia litterarum notitia liberaliaque studia, principum electorum exempla docent et ad hoc invitant² evidentissima, qui quanto litteratiores erant et eruditiores, tanto in rebus bellicis animosiores exstiterant et strenuiores. Veluti Macedonum dux Alexander egregius, Romanorum Cæsar Julius, necnon et nepos ejusdem Augustus Octavianus, qui liberalibus studiis, præsertim eloquentiæ, in tantum incumbibat,³ ut nullus neque in procinctu laberetur dies quin legeret, scriberet, dictaret; et ut ad propiora f. 49. respiciamus nostris diebus tempora longe[que] propinquiora, Francorum rex et Alemannorum Carolus Magnus, qui quidem, Alquino testante, non solum juvenibus annis inter arma martia et imperialia negotia tanta, vero et in ipso senio, dictum Alquinum præcipuum præceptorem habens et eruditorem, libris et litteris animum applicare non cessabat, quicquid temporis arduis rebus agendis supererat id totum studio donans.

Laus itaque virens et convenientia dicens quod regni princeps, quo præ cæteris regnis militia viget utraque, tam armata quam togata, tam martia scilicet quam litterata, studio floreat et præcellat utroque. Illud

¹ *exspectat*] expetit, ed. Brewer.

² *invitant*] invitavit, MS.

³ *incumbibat*] incumbens, MS.

The greatest
princes the
most de-
voted to
literature.

quoque dignum est nota, quod philosophiæ militiæque se comitari semper studia solent, sicut in Græcia sub Macedone, sicut sub Cæsaribus Romæ, sicut et olim in Francia sub Pipinis, Carolis et sub eorundem usque in hodiernum regia prole.

EXPLICIT PRÆFATIO PRIMA.

CAP. I.

De principis moderamine.

Of the governing of a prince.

Princely power everywhere necessary, among brutes as well as mankind,

in heaven and in hell.

In apibus rex unus est; grues unam sequuntur ordine litterato; taurus armentis, aries in grege, equus equitio præminet emissarius. Nec solum in apibus, avibus aut brutis animalibus, verum in hominibus ingenio ingentibus et ratione principalis potestas est necessaria. Quod enim regnum vel in se divisum vel debito regimine destitutum statim desolationi non subjacet exitiali? [Prov. xi. 14; Rom. xiii. 1, 2.] Item et Egesippus, "Paucis præesse natura dedit, pluribus obtemperare. Tauri armentis eminent, arietes gregibus; penes paucos eminentia, penes plurimos mansuetudo." Urbs Romulea primo per reges, deinde per consules, demum regi statuit per dictatores. Imperiale nimirum tam nomen quam omen sola sibi usurpavit ambitio. Nunquam tamen Romana res publica per consortes in tantam excrevit amplitudinis gloriam sicut per unicam imperatoriæ moderationis potestatem. Nec solum terrena, verum etiam tam ima quam superna, principali potestate distinguitur. In angelorum choris archangelos reperis, dominationes, principatus et potestates; Tartareis quoque sedibus maligni spiritus tanto sunt malitia præstantiores et potentiores quanto prævaricatori fuerant angelo prava voluntate conjunctiores. "Dum enim durat mundus," ut ait Augustinus super Epistolam ad Corinthios primam, "angeli angelis, dæmones dæmonibus, hominibus

“ homines præsumunt; sed omnibus collectis jam omnis
 “ prælatio cessabit.” Dominationis¹ tamen intellige, f. 49 b.
 non dignitatis, quia semper Lino dignior Petrus;
 “ sunt enim in domo Patris mansiones multæ.” Cum
 autem morum venustas cuilibet ad se regendum ap- Moral
beauty
especially
useful and
necessary to
one who
rules others.
 prime in vita sit utilis et accommodata, nulli tamen
 adeo ut illi qui multitudinem regit est necessaria;
 ideoque rex a regendo dicitur, quia primo se ipsum,
 deinde populum sibi subditum, regere tenetur. [Horat.,
 Epp. II. i. 1–4.] Principem igitur instruere præsumens
 et prælatum, sabuli forte cinerumque vices as-
 sumo, quæ purgare solent, quanquam impura, subjec-
 tasque attritu materias, luce carentia, lucidas reddunt.
 Sicut et alia quoque naturæ consimilis multa reperies,
 quod quidem in se non habent aliis conferentia. Sa-
 tyricus clamat, “ Fungar vice cotis,” etc. Unde Gre- Hor., Ars
Poet. 304,
305.
 gorius in Moralibus, “ Depinxi pulchrum hominem,
 “ pictor fœdus.” Princeps igitur in eminenti specula
 constitutus tanquam omnium obtutus in se noverit
 esse conversos, sic os, sic oculos, sic membra singula He is bound
so to act as
to offend
no one, and
particularly
in speech.
 gestusque corporis omnes, ut nec unum in tot milli-
 bus oculum offendat, regere tenetur et moderari. Cum
 autem in cunctis sit modus observandus atque modestia,
 in nullo magis actu humano opus est observantia quam
 sermone. Quid enim magis familiare sapienti et præ-
 cipue principi quam pro locis et temporibus aptare
 sermones? [Prov. xv. 1, 2, x. 18, 19, xiii. 3.]

CAP. II.

De principis mansuetudine.

Ornat autem cæteras in principe virtutes mansue- Of the mild-
ness of a
prince.
 tudo. Quid enim pulchrius, quid decentius quam ho-
 minem qui super homines est constitutus se tamen
 inter homines et tanquam de cœtu hominum censi

¹ *Dominationis*] Dominationes, MS.

velle, eumque qui multitudini præest plebi subjectæ
 ultroneo liberalitatis motu condescendere interdum ac
 morem gerere. Juxta illud in Ecclesiastico, “Ducem
 “te¹ constituerunt. Ne eleveris; sed esto inter eos
 “quasi unus ex ipsis.” Et sub imperatoris persona
 in Jure scriptum est, “Quanquam legibus soluti simus,
 “attamen legibus vivere volumus”; et alibi, “Digna
 “vox majestate regnantis, legibus alligatum se prin-
 “cipem profiteri. Adeo de auctoritate juris nostra
 “pendet auctoritas, et revera magis imperio est sub-
 “mittere legibus principatum, et oraculo præsentis
 “edicti quod nobis licere non patimur judicamus.”²
 Et iterum, “Licet enim lex imperii sollempnibus juribus
 “imperatorem solverit, nihil tamen tam proprium
 “imperii est quam legibus vivere,” etc. Pulchra libe-
 ralitas Gaii Cæsaris erat, quam Plinius exprimit his
 verbis: “Auditorium Tullii Julius Cæsar intravit. Cui
 “cum assurgeret Tullius, Cæsar inhibens ait, ‘Non
 “‘assurgas mihi; major est enim sapientia quam po-
 “‘tentia.’ Cui respondit Tullius, ‘Orbis victori non
 “‘assurgam?’ Cui Cæsar, ‘At tu majorem lauream
 “‘adeptus es, quanto majus est propagasse terminos
 “‘Romani ingenii quam Romani imperii.’ Cujus
 “verbi occasione a Cæsare lex instituta est, ut nemo
 “codicem tenens cuiquam assurgat.” Item refert
 Valerius Maximus quoniam Accius poeta Julio Cæsari
 in collegium poetarum venienti non assurgebat. Inter-
 rogatus cur tantæ majestati supersederit, respondit,
 “Inferior superiori assurgit, par pari convenit; sapi-
 “entia incomparabilis præcellit.” Quod et Julius
 nihil indignatus tam dictum quam et dicentem com-
 mendavit. Item adducti sunt Julio pueri duo, mas
 et fœmina, ad miraculum usque simillimi; quos cum
 ambos inspexisset, tandem imperiali donatos munifi-

Amenity of
the Roman
emperors to
the laws.

Cod. Justin.,
lib. i. tit. 14.
4.

f. 50.

Liberal
spirit of
Julius
Cæsar,

iii. 7. 11.

¹ *Ducem te*] Ducente, MS. The
passage is not in Ecclesiasticus.

² This is quoted again below,
cap. xix.